



XVII, 472.

IESV CHRI=
STI IN CRVCE
PRO HVMANA SALV=
TE PENDENTIS

HEPTALOGVS

PER

GEORGIVM FABRICIVM
CHEMNICENSEM.

LIPSIAE

IN OFFICINA VALENTINI
PAPAE

ANNO

M. D. LIII.

LECTORI.

*Cum scandit medium coeli Sol aureus axem,
Nostraq; sunt sumto membra refecta cibo:
Christum quisquis amat, huc totam dirige mentē,
Hæc mecum uacuo pectore scripta puta.
Illo quid pro te tolerarit tempore Christus,
Virginis ille puer, filius ille Dei.
Corpore cum toto laceratus, et in cruce hæc,
Tot promit querulos uoce gemente sonos.
Ac cum pro meritis nil tantis reddere possis,
Tantum illi grates supplice mente cane.
Crede etiam illius partam tibi morte salutem,
Grata Deus poscit pectora, fida probat.*

VENERABILI

VIRO, PIETATE

ET ERUDITIONE EXCELLENTE

D. ERASMO SARCEO, ECCLESIAE

SAE D. Thomae Lipsiae pastori,

Georgius Fabricius

Chemnicensis

S. D.



DE tua beneuolentia erga me, optime Sarceri, quae mihi nunciauit Petrus Thomae amicus noster, gratissima mihi fuerunt. nam pietatem, eruditionem, grauitatem, ob quae merito amandus ac suspiciendus es, scripta tua omnibus loquuntur, eaque multos ante annos tibi me deuinxerunt uinculo arctissimo. Quo minus autem haecenus inter nos noticia intercesserit, mea culpa est, qui tibi nec literis unquam significauit obseruantiam erga te meam, nec id coram feci sermone, cum patria tam propè nos coniunxerit, ut alloqui alter alterum penè ex uicinia potuisset. Cum igitur mihi culpa mea, ac uirtus ac humanitas tua iam pudorem incuterent, arripui libenter atque quide scribendi ad te occasionem. Etsi autem

A 2

nihil

nihil habeam, quod afferam ad amicitiam nostram: tamen hominis tui studiosissimi uoluntatem probabis, quæ profectò in te, talem uirum, & tam bene de Ecclesia meritum, est singularis: & quàm diu bene mereris de plurimis, id autem facis semper, non potest non multorum caritas in te excitari. Deum autem rogo, ut te regat ac defendat in tam magno ac præclaro proposito, ut diutissimè nobis & amicus esse, & utilis esse amicus possis, tali uidelicet officio & fructu, quem tum demum uerissimè percipiemus, cum æterna consuetudine coniuncti perpetuò, in filio Dei, Domino nostro Iesu Christo gaudebimus: cuius gloriose mortis memoria & consideratione, temporibus admonitus, exercitationes has nostras, iam iam absolutas, nostræ amicitie gratia, ad te mitto, ut sint quasi auspiciū & pignus mutue inter nos beneuolentiæ.

Vale feliciter. Ruri ad Rederam

X. Cal. April.

M. D. LIII.

IESV

IESV CHRISTI IN
CRUCE PRO SALUTE
HVMANA PENDENTIS,
HEPTALOGVS.

HVMNVS I.

Esaie LIII.

Pro transgressoribus orauit.

Luc. XXIII.

PATER, REMITTE ILLIS, NON
ENIM SCIUNT, QUID
FACIUNT.

Pro peccatorum remissione.

O Christe, quas toto geris
Plagas cruentas corpore,
Has nostra culpa plurimis
Tibi intulit poenæ modis.
Sudor, flagella, uerbera,
Arundo, clauis, lancea:
Sunt uerba, facta, & abdita
Mei reatus crimina.
Ad te Sacerdos optime,
Et Arbiter sanctissime,
Venimus, ac te supplices
Pacem, salutem poscimus.
A 3 Labem

Labem repurga, nos sacra
Sacrum ad Patrem iuua prece:
Te deprecante nam grauis
Sumus repulsæ nescij.
Tu flecte Patris pectora,
Ne nostra plectat crimina,
Oppone delictis tuam
Benignus innocentiam.
Acerba ferre, ignoscere
Iniurijs, non lædere
Discamus, & mites tua
Per ingredi uestigia.
Ut filij summi Patris,
Christi secutores Dei,
Tandem beati gaudijs
Fruamur immortalibus.

H Y M N V S II.

Ioan. XIII.

Non relinquam uos Orphanos.

Ioan. XIX.

MVLIER, ECCE FILIVS TVVS,
ECCE MATER TVA.

Pro Ecclesiæ conseruatione.

○ **C**hriste, curam sedulæ
Qui non parentis abijcis,
Dum

Dum plena luctus, faucio
Gemit dolenter pectore.
Qui filiorum nos uocas
Fratrumq; dulci nomine,
Da caritatis uiuidam
Nobis tuæ scintillulam.
Cum maectat orbis ob tui
Professionem nominis,
Nos Pastor ô fidissime
Oues relictas aspice.
De patris alti dextera
Vultu tuo nos adiuua:
Tuente te cedunt mala
Aduersitatum nubila.
Committe fidis ac bonis
Tuum gregem pastoribus,
Qui sint pares fidelibus
Affectione matribus.
Tum nos sacrato coelici
Flatu gubernas Spiritus,
Illis ut obseruantia
Obtemperemus debita.
Ut te, tua salui fide,
Vero colamus pectore,
Nos donec ad prælucidam
Hinc euoces Ecclesiam.

A 4

Hymnus

HYMNVS III.

Ioan. XVII.

Pater quos dedisti mihi, uolo, ut ubi
sum ego, & illi sint mecum.

Luc. XXIII.

AMEN DICO TIBI, HODIE
MECVM ERIS IN
PARADISO.

Pro uita aeterna.

○ **C**hriste, cœlorum nece
Pandens opertam ianuam:
Quam culpa primi contumax
Olim parentis clauferat.
Ducens per illam tabido
Flentem latronem pectore,
Hora salutem qui tibi
Committit ultima suam.
Seruator & Dux inclyte,
Mentes pusillas erige,
Sperent ut à te tristibus
In omnibus solatium.
Dum gratiæ tempus datur
Da pœnitere criminum:
Queis te die uno millies
Ingratitudo prouocat.

Te

Te nos trahente maximis
Luctamur è periculis :
Nec lex, nec horror inferus
Damnare, quos tegis, potest.
Terrore mortis anxius
Quando euolabit spiritus,
Nostri memento, qui soli
Tenes superna patrij.
Viuamus ut tecum domo
Lucente cunctis seculis,
Et cum beatis Angelis
Tuam canamus gloriam.

H Y M N V S I I I I .

Psal. XXII.

Deus Deus meus, respice in me,
quare me dereliquisti ?

Marci XV.

DEVS MEVS, DEVS MEVS,
QVARE ME DERE=
LIQVISTI?

Pro uictoria tentationum.

○ Christe, cuncta perferens
Acris doloris uulnera,
Dum spina frontem, dum manus
Clauis pedesq; perforant.

A 5

Imago

Imago mortis horrida
Dum te probrosæ territat:
Tristi querela dum Deum,
Deferta mens, Deum uocat.
O uictor inuictissime,
Nos imbecillos sustine:
Ne flamma uexatam premat
Inferna conscientiam.
Cum pugnat in nos omnibus
Sensus malorum uiribus,
Ac criminum succumbere
Iam mens uidetur pondere.
Te stante pro nobis opem
Mox sentiemus patriam.
Dum fixa cordis est fides
Nequit Deus relinquere,
Virtute nos muni tua,
Infirma corda robora:
Est maximum cum maximis
Certamen illud hostibus.
Vt liberatus grex tuas
Olim sonet uictorias,
Ductore te, ferens malo
Tot rapta tela dæmoni.

Hymnus

HYMNVS V.

Pfal. LXIX.

Dederunt in escam meam fel, & in
siti mea potauerunt me aceto.

Ioan. XIX.

SITIO.

Pro consolatione.

O Christe, cuius uiua uis
Ut flos in agro concidit:
Exhausta cuius aridis
Os linguaq; hærent faucibus.
Non lympa sedauit grauem
Salubris aut potus sitim:
Sed fel amarum, & acidi
Porrecta uini est spongia.
O Liberator unice
Tua sitisti qui cruce
Nostram salutem, gratias
Da nos referre debitas.
Acerba pro datis bonis
Cum mundus offert pocula,
Immitte cordibus tuæ
Sitim piam clementiæ.
Explente te uerbo tuo,
Solante Spiritu sacro,

Mel

Mel in suaue, quod fuit
Fastidiosum, uertitur.
Serua tuam, da mutuam
Vicissim amandi te sitim,
Hanc incitet fides, alat
Spes, augeat dilectio.
Ut post caduca flebilis
Peracta uitæ tempora,
Bibamus in cœlis tuæ
Nectar perenne gratiæ.

H Y M N V S V I.

Hebr. X.

Vna oblatio consummauit in per
petuum sanctificatos.

Ioan. XIX.

C O N S U M M A T V M E S T.

Pro fide.

O Christe, tota qui miser
Vita, salutis perditum
Reddens honorem, per crucem
Commisa tollis crimina.
Exacta nunc sunt omnia,
Quæ per Prophetas prodita:

Lex

Lex mutit, infernus iacet.
Deuicta mors, cœlum patet.

Placator ô mitissime
Da nos fide hæc præhendere,
Et facta gratis mentibus
Tam gloriosa tollere.

Sit fortis in te prosperis
Ac tristibus fiducia,
Humanaq; imbecillitas
Quod non potest, id perfice.

Te subleuante quicquid est
Usquam molesti uincitur,
Latusq; finis asperis
Contingit in periculis.

Nec nos misellos desere,
Nec ob reatus abijce,
Quos eluisti proprij
Nouo lauacro sanguinis.

Vt passionis & necis
Tuæ, salubri munere,
Æui peracto termino
Omni fruamur seculo.

Hymnus

HYMNVS VII.

Psal. XXXI.

In manus tuas commendo spiritum
meum, redemisti me Domine,
Deus ueritatis.

LUC. XXIII.

PATER, IN MANVS TVAS
COMMENDO SPIRI-
TVM MEVM.

Pro beata mortis hora.

O Christe, sicut squallida
Fullonis unda, fusus es:
Contritus atque dexteris,
Vt uermis, es nocentibus.
Lacer cruento corpore,
Sectusq; diro uulnere,
Committis in manus Dei
Parentis ægrum spiritum.
Redemptor alme, me tuos
Prosterno supplex ad pedes,
O dulce desiderium
Meis petitis annue.

Vt

Vt mortis in certamine,
Fiducia pari meum
Vitæ fugacis spiritum
Tradam in tuam custodiam,
Seruante te, de corpore
Abibo tutus, nec fores
Pauebo tristis inferas,
Nec mille pœnarum modos.
At redditus tua mihi
Die supremo gratia,
Ipse integer tecum integra
Florebo felix gloria.
Tuasq; laudes, & Patris,
Sacriq; Spiritus canam,
Et in frequente gestiens
Te prædicabo Ecclesia.

FINIS.



Venerabilis in christo
Fidelis partitio
Vniuersalis salutem
Tidem in tam collatum
Gerere te decoro
Alto vniuersa partem
Fidelis in his in
Nec mille peruenit modor
At reddens in his
De his in gratia
Solentur lectis in
Fidelis in gloria
Tunc in his & partem
Fidelis in spiritus carum
Et in inuenit partem
Te predicabo in his

FINIS



29 4182

ULB Halle
004 974 59X

3



TA → OL

m.c.



IESV CHRIS-
TI IN CRUCE
PRO HUMANA SALV-
TE PENDENTIS

HEPTALOGVS

PER

GEORGIVM FABRICIVM
CHEMNICENSEM.

LIPSIAE

IN OFFICINA VALENTINI
PAPAE

ANNO
M. D. LIII.

